sunt a facie domini. Montes superbos dicit. et in sua potentia gloriantes. qui fluxerunt resoluti per penitentiam
et cordis sui a duritia. et conplanati id est humiliati sunt calore ignis diuini. hoc est enim quod ait a facie domini. Et
cuius dominus est. a facie inquit domini omnis terrae. Non enim tantum deus iudeorum. sed etiam gentium. Si autem legerimus omnis terra
subaudiendum erit intremuit. et iugo Christi colla summisit. Adnuntiauerunt caeli iustitiam eius. et u. o. p. g. e. Caeli
id est apostoli qui facti sunt sedes dei. adnuntiauerunt iustitiam eius. id est euangelium. quod est iustitia iustificans cre-
dentes ex fide Iesu Christi. Illis itaque adnuntiantibus. omnes populi uiderunt. hoc est cognouerunt gloriam eius. id est in-
tellexerunt maiestatem eius. Viderunt autem non oculis corporis. sed oculis mentis. Siue ut quidam dicunt gloriam
eius. id est manifestam incarnationem et apparitionem. Confundantur omnes q. a. s. Quia ergo iam manifestata est gloria domini omni-
bus populis confundantur qui adhuc adorant lapides. imagines falsorum deorum sculptas habentes. Qui gloriantur
in simulachris suis. cum dicunt Iouem summum et maximum deum. et in figuris hominum malignos atque inmundos
spiritus adorant. ipsis hoc exposcentibus demonibus. Nam boni angeli nolunt adorari ab hominibus. sed ipsi cum hominibus ado-
rant dominum. Unde sequitur. Adorate eum omnes angeli eius. a. et l. e. s. Syon. id est speculatio sancta est ecclesia. sed quid au-
diuit. utique iudicia domini. quae puro corde percepit. siue audiuit. quod angeli boni adorant. Non enim sine causa
cum dictum esset angeli. additum est eius. id est boni et sancti. Sunt enim et angeli. qui indigni sunt adorare dominum. hoc au-
diuit ecclesia et laetata est. Ecclesia enim primitiua ex iudeis laetabatur. quod et gentes receperunt uerbum dei. Exultauerunt
filiae iudae. p. i. t. d. Filias iudae animas appellat religiosas et credentes in eum. qui de stirpe iudae natus est Christum.
Iuste ergo laetatae sunt propter iudicia domini quod superbos humiliat. et humilibus suam tribuit gratiam. Legimus in actibus apostolorum
quod qui erant in iudea fratres. cum audissent quod et gentibus deus adiuncta penitentiam dedit. gauisi sunt. Propter iudicia
tua domine. quod deus omnium miseretur. et in omni gente qui timet eum et operatur iustitiam. acceptus est illi. Quoniam tu dominus al-
tissimus super omnem terram. Non solum super iudeos. sed et super omnem terram exaltatus est. et magnificatus dominus. Siue super
terram. id est super peccatores. quibus incomprehensibilis est et inuestigabilis. Nimis exaltatus es super omnes deos. id est super
iustos. qui per eius gratiam dii facti sunt. Siue super angelos. quorum celsitudinem nimis supergreditur diuina ma-
iestas. Qui diligitis dominum odite malum. Alloquitur sanctos. ut si uere dominum diligant. malum id est diabolum odio habe-
ant. Nemo enim potest dominum simul et auaritiam siue cetera uitia diligere. quia nullus potest duobus dominis
seruire. sed ne forte metuerent aliquid aduersi ut a membris eius pati. consolatur protinus subdens. Custodit
dominus a. s. s. d. m. p. l. e. Animas inquit custodit. Licet enim permittat affligi corpora. semper tamen ani-
mas sanctorum liberat. quia eas post certamina coronat. Lux orta est iusto. et r. c. l. Lux. id est splendor rectae fidei.
Cur ergo times amittere istam lucem. quae communis est castis et inpudicis. Lux orta est iusto. quae auctore sole
praestatur quam nullus reproborum uidere potest. Unde in fine dicturi sunt. Errauimus a uia ueritatis et lumen
iustitiae non luxit nobis. et sol non est ortus nobis. Rectis corde laetitia. quae nulla tristitia aut asperitate tur-
batur. quam dominus suis permittens fidelibus. ait. Iterum uidebo uos. et gaudebit cor uestrum. et gaudium uestrum nemo
tollet a uobis. Laetamini iusti in domino. Non inquit in sociis prosperis aut in fortunosa mundi elatione sed in domino.
Sequitur. Et confitemini memoriae sanctificationis eius. hoc est agite gratias. et laudate eum. recordantes de quantis
scti cladibus nos eripuerit. et in suo caelesti regno collocauerit.

Cantate domino canticum nouum. Nouus homo innouatus in Christo. debet cantare canticum nouum. Veteri
uita exuti. noua uita in Christo. de qua apostolus deponentes ueterem hominem cum actibus suis. induite nouum
qui secundum deum creatus est. et cetera. Siue iubemur cantare canticum nouum. hoc est mysterium incarnationis Christi
praedicare quod recte dicitur canticum nouum. quia numquam simile mundus audierat. Quia mirabilia fecit. In-
numera Christus fecit miracula. quae in euangelio leguntur. sed ualde maius miraculum est. quod mundum perditum
a morte aeterna saluauit. quam quod unum hominem Lazarum resuscitauit. Hoc est enim quod sequitur. Saluauit sibi
dextera eius. et b. s. e. Dextera et brachium patris filius est. Dextera quia deus omnia per ipsum fecit. Brachium.
singulari fortitudine diabolum superauit. Ait ergo. Saluauit. subaudis genus humanum sibi. id est ad
suam gloriam. tamquam diceret. ad suum opus. Multi autem saluantur sed non deo. quia saluantur temporaliter. Illos

e-codices

Licenza: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 202 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos (http://www.e-codices.ch/it/csg/0312/202)